DIE XVI JULII.

In Commemoratione Solemni Beatæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.

juxta Decretum Sacræ Rituum Congregationis die 30. Augusti Anni 1704.

Pro Sacerdotibus in Regno Poloniæ.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino diem festũ celebrantes sub honore Beatæ Virginis MARIÆ: de cujus solemnitate gaudent Angeli & collaudant Filium DEI. *Psalm:* Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gaudeamus &c: *Gloria in excelsis.* *Oratio.*

DEVS qui Beatissimæ semper Virginis, & Genitricis tuæ MARIÆ singulari titulo Carmeli Ordinem decorâsti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem Solemni celebramus officio, ejus muniti præsidijs, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

Lectio libri Sapientiæ.

EGo quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

Qui



Qui audit me non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta & venerabilis es Virgo MARIA, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. ℣. Virgo DEI Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluja. ℣. Per te DEI Genitrix, nobis est vita perdita data: quæ de cælo suscepisti prolem, & mundo genuisti Salvatorem. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelij secundùm Lucam.

IN illo tempore: Loquente IESV ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo beati, qui audiunt verbum DEI, & custodiunt illud. *Credo.*

Offertorium. Recordare Virgo Mater in conspectu DEI, ut loquaris pro nobis bona, & ut avertat indignationem suam à nobis.

Secreta.

SAnctifica, Domine quæsumus, oblata libamina: & Beatæ DEI Genitricis MARIÆ saluberrimâ intercessione, nobis salutaria fore concede. Per eumdem Dominum.


Præfatio. Et te in Commemoratione Beatæ MARIÆ.

Communio. Regina mundi dignissima MARIA, virgo perpetua, intercede pro nostra pace & salute, quæ genuisti Christum Dominum Salvatorem omnium.

Postcommunio.

ADjuvet nos, quæsumus Domine, gloriosæ tuæ Genitricis, semperq; Virginis MARIÆ intercessio veneranda: ut quos perpetuis cumulavit beneficijs, à cunctis periculis absolutos, tua faciat pietate concordes. Qui vivis & regnas.





Post komonio

Qwesumus omñi potens Deus ut qui celestya alymenta per
cepimus intercedenty beato petronolasko Confesory tuo per
cho contro omnia adwersa muniamur per Dominum nostrum
iezu chry &c

Dani

Papin

panem celesty

akrypsiam

Deus js bog Kornurok

dywintas bostwo

mustytudo mnostwo

angelus aniol

archaniclus

Pan mor Kocha

na Pani moih

ydobrodziko

kot ktoregoskona

ko

zo

Pani

Kotla

Czy mądrze a partz
Konińca
Patrza katarzyna

Pan
Domenio
Domi
hinia
zorka
B. Raggi Katarzyna
5004

